

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Qvaestionvm Scholasticarvm Problema Tertivm Qvo Actvs  
Oratorivs in Gymnasio Halensi Hor. II. A.D. VIII. Ian.  
A.O.R.S. MDCCCLIX. Habendvs Rite ...**

**Miller, Johann Peter**

**Halae Magdeb., [1759?]**

**VD18 13457799**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)





195 D 91

Ka 33

<sup>10</sup>  
[18]  
QVAESTIONVM  
SCHOLASTICARVM  
PROBLEMA TERTIVM

QVO  
ACTVS ORATORIVS  
IN GYMNASIO HALENSI


HOR. II. A. D. VIII. IAN. A. O. R. S. CCLIX.

HABENDVS

RITE INDICIT VR

A

M. IOANNE PETRO MILLER  
RECTORE.



HALAE MAGDEB.  
LITTERIS GEBÄVERIANIS.



Quotusquisque est, qui illas multorum quotidianas querelas clamoresque non audierit, ut, quoties de iuuandis bonis litteris et pube maturius illis imbuenda agatur, cordatique viri statuant, maiorem rerum ipsarum, quam veteris linguae rationem esse habendam, isti homines de omni eruditione, deque humanitatis maxime litteris, immo de ipsius Rom. imperii salute actum conclamatumque esse, ut quisque maxime literibus et voce valet, vociferentur:

*Hocis habet muros, ruit alto a culmine Troia.*

Quorum redarguendus error est et causa litterarum, atque adeo ipsius publicae salutis non auctoritatibus antiquarum opinionum, sed rationis, quae ipsa antiquissima est, masculine et religiose est peroranda. Ostendam igitur *primo* breuiter, quod debeo, strictimque, nulla re minus, quam quotidiano et promiscuo latini sermonis usu barbariem a finibus eruditioris orbis arceri; *deinde* alia ad tuendam amplificandamque litterarum in scholis dignitatem praesidia extrema in parte collocabo. Primum causae momentum tum sua clarissima luce radiabit, quum probatum a me fuerit, nihil minus, quam quotidianum et promiscuum latini sermonis usum dignitatem humanitatis litterarum tueri. Quod ut efficiam, nihil opus est, ut ex psychologiae fontibus argumenta hauriam, subtiliusque disputem, facilime sua quemque lingua mentis cogitata et elegantissime et copiosissime exprimere rerumque imagines describere posse. Quod secus sit in peregrina lingua, propterea, quod, quae cuiusque in illa vocis propria et nativa potestas sit, difficilius reperitur; ex quo efficitur, ut, quum scite aliquid scribere volunt iuvenes, simul et de vocabulis et de rebus, deque reliquo orationis ornatu ita laborandum illis sit, ut ex suis loculis vndicunque materiam atque pigmenta anxie et moleste conquirant. Idem vero largior, esse quedam ingenia tam felicia, ut in quacumque se pulcritudinis formam, quemadmodum florentes ad irriguas aquas vere nouo horti, induant et

et in omni genere dicendi excellant, siue peregrina, siue vernacula lingua aliqua de re disputent. Haec autem divina in doles non tam arte, quam benefica in usitataque quadam naturae vi excitata formatur. Nobis contra curandum est, ut facillimam et, quam fieri potest, planissimam viam ad litterarum politiorum arcem, quae in sublimi loco posita est, non vni et item alteri, sed (optabile factum est,) omnibus, qui duces nos suos elegerunt, pandamus.

Illi sane, qui putant, in latinis vocibus illas inesse venieres, quae Tullio tam mirificos omnium, qui aliquem modo habent pulcritudinis dignitatisque cum summa gratia, sensum, amores conciliauerunt, aper-te a vero aberrant. Qui enim Graeca intelligunt, negant, Platone, Xenophonte, Isocrate aut Demosthene aliquid esse posse venustrius. Ingenii videlicet omnis ista vis est, a qua apta membrorum illa orationis omnium figura, cum coloris quadam, id est, sonorum suavitate ita describitur, ut, quae pulcerrime animus et concinne cogitat, id stilus quasi in tabula pingat. Ut enim ex Cicerone, Plinio et Quintiliano nouimus, sexcenti alii in aurea illa litterarum aetate Romae fuerunt, qui vel in foro, vel in rhetorum philosophorumque scholis latine declamaverunt, aut literis res gestas consignauerunt: paucos tamen habemus de toto illo ingeniorum prouentu, quorum monumentis aetas percepisset, Tullios, Caesares, Nepotes, Liuios. Qui vero a Traiani obitu scripserunt, quamquam latine omnes, duriores sunt, quam ut legentis studium alant. Latinus, et purius est dicendi genus Ouidii, et metri legum obseruantius quam Horatii: nemo tamen fere est, quin hunc maiori cum voluptate et fructu legere se fateatur. Ex quibus, ut spero, palam est, in ingenio cuiusque, non vero in vocibus id, quod admiramur aut amamus, inesse. Iisdem, quibus ciues sui, Cicero vocabulis vtebatur: et tamen mire delectabant aures ab eo dicta.

De illis vero anceps sum quid statuam, qui in media Germania veterem Romanam quasi ex ruina excitatum iri sibi persuadent, qui que adeo auream Augusti illam aetatem in hoc, quod vocant, ferreo saeculo nostro induxit iterum, quasi per postliminium Romanis litteris, nobis pollicentur, quod si modo visum proceribus vtriusque reipublicae fuerit, suis fauere consiliis. At quaenam ista? Fortassis de latina excitanda ciuitate somniant, in qua a sutrina taberna vsque ad templorum parietes omnia latinis vocibus ac formulis personarent \*). Lepidi profecto consultores, qui id vnum non didicistis ex Plauto et Terentio, opifices, pueros, immo ipsos eruditos homines de quotidianis rebus,

A 2

de

\*) MORHOE. Polyh. T.I. L.II c. 9 §. 22 p. 425 serio suadens hoc consilium sit:  
credo, intra 20 annos extrui talem societatem posse, qua omnes, NB. etiam  
opifices, latine loquantur.

de supellecili vitaeque priuatae cum instrumentis, tum negotiis vulgari more, minime vero Ciceroniano dicendi genere loqui. Sed, vt nemo fortassis cordatiorum est, qui Solis hanc rempublicam aut exspectandam, aut valde probandam putet, similia tamen proferuntur. Quis enim non quotidie illorum voces audit, qui in scholis non modo inferioribus, sed multo magis superioribus agi omnia latino sermone, eodemque, libros omnes, siue de theologico, siue de philosophico aut mathematico argumento conscribi oportere, acerrime interdum pugnant. Ut autem omittam, parum aptas esse antiquas linguis ad vnam omnes nouis rebus plene, commode, breuiterque enuntiandis, intercedit etiam, quo minus hoc S. C. valeat, magistra prudentiae, experientia, quippe quae multorum exemplis testatum fecit, promiscuo latinae linguae vsu omnem fere illius puritatem veteremque maiestatem a finibus Germaniae, qua erudita erat, esse depulsas. Patrum enim et auorum memoria nemo erat, qui ciuitatis eruditae ius acciperet, aut acceptum tueretur, nisi latine de omnibus rebus, etiam domesticis, promte et expedite loqueretur; nisi latine omnia scriberet, et, quod Iuuenalis de Graecorum stulta aetatis sua imitacione false dicebat, latine etiam accumberet, ederet, biberet. Iam vero, vt de Philosophis nihil dicam, quorum hispidum, hirtum et scabrum dicendi genus efficit, vt scholasticorum dictio vulgari sermone pro inquinatissima habetur, quot quae de Theologis, de Iureconsultis, qui faeculis duabus proximis ab orationis splendore insignem aliquam laudem sibi comparauerint, nominari possunt? Non ignoro equidem immortalia eorum nomina, quos CL. BVRKHARDVS \*) tamquam sidera, quae vniuersam Germaniam post Cimmerias illas tenebras illustrauerunt, commemorat. At, quamquam illud largior, caste illos, nonnullos etiam venuste scripsisse, nihil tamen eo adducor, vt omnem humanitatis litterarum ambitum complexos illos ingenio et libris suis fuisse fatear. Harum vero culturam scholis propriam esse debere contendeo. Et quanti quanti hi etiam in peregrina lingua fuerint, in patria tamen ita duri fuerunt, vt molestum sit Germano, germanica illa legere. LUTHERVS vero noster mediocris in aliena, excellens in domestica ita est, vt post ducentos annos homines nostros epistolas et sacras eius orationes cum admiratione et voluptate lecturos confidam. Fatear, quod res est, superstitionis linguae latinae veneratio in culpa est, cur Germani nostri plumbei in politiori litteratura diu fuerint, superatique a vicinis, qui citius Romanam hanc seruitutem iterum excusserunt.

Sed liberalius agamus cum viris, quibus decus litterarum aeque atque nobis curae cordique esse certum est. Dabo, eam vim et facultatem

\*) Comment. de L. L. per German. fatis c. V. p. 366.

tatem in latino dicendi genere iuuenes nostros sibi comparatuos esse, quam vel ipse Marcus filius legendis eloquentissimi patris libris vel alius excitatoris indolis de Rom. iuuentute, tanti exempli, spirantis adhuc, imitatione sollerti et constanti comparasse sibi, existimari probabili coniectura potest: num vero propterea agere triumphos de deuicta repulsaque a finibus nostris barbarie laeti, et securè ouantes possumus? Evidem non puto. Agam iterum exemplis, memoriam veterem in re facti testaturus. Superbiebat saeculum a N. C. XV vno plus Cicerone. Habebat homines, quorum quidam ornato perpolitoque dicendi genere illud Tullianum non modo fere aequarent, sed artificio quoque tornandarum periodorum fortassis superarent, quibus scilicet nihil rotundius, plenius et elegantius esse cogitarique possit. At amabo te, quam rudes isti vocularum syllabarumque reguli in iis, quae ad veram eruditionem, verumque mentis humanae decus pertinent! quam ignari rerum grauiissimarum, quaeque ad humani generis salutem pertinent! quam hospites in theologiae, iuris, artis salutaris, philosophorum, mathematicorumque fertilissimis campis! De Italib[us] in primis loquor, quorum et nonnulli libri impietatis, plerique saltim eius sterilitatis accusantur, ut nihil ex illis ad communem utilitatem decerpere queamus \*). Scilicet, tanti erat, tot beneficiis publice alere ignauam horum hominum operam, quo non deessent, qui eadem lingua, qua Cicero de rebus grauiissimis philosophiae disputauit, de ritibus nonnulla antiquis, pleraque de nihilo disputarent, aut comtiores ipsis Ciceronianis illis, quarum ipsa simplicitas sapientes delestat, epistolas sibi inuicem mitterent, seque elegantissimis verbis collaudarent. Quanto maior his umbraticis et otiosis declamatoribus M V R E T V S is, qui et eorum stultitiam politissime saepius in orationibus suis \*\*) perstrinxit, et ea, Consule Romano digno orationis habitu pertractauit, quae et ad ornandas omnes litteras et ad vitae humanae rationes iuandas amplificandasque sapientissimo cuique pertinere videbuntur. Repeto igitur et centies repetam, summorum hominum auctoritate fultus, barbarum esse, qui cum MANVTO in periodis latinis, plus quam Ciceroniana arte exasciandis laborat, de rerum necessiarum scitu et utilium comparanda scientia nihil curat, muliercularumque mollissimarum more ineptit, quae, quo Paridis aut Testyli alicuius amores in se accendant, colorem non modo adscititio fuco mentiuntur, sed etiam totos dies in exornando alienis plumis corpore consumunt, ea vero, quae ad rei familiaris curam, aut mentis ornatum pertinent, in mollissima

A 3

illa

\*) V. Cl. WEBERI Hist. L. L. p. 356 ff.

\*\*) Maxime in illa, qua coniungendam cum eloquentia philosophiam grauiissime disputat. Vol. I or. 3 p. 22 edit. Thomas. conf. p. 186. 258 et passim.

illa et inertis vita omnino negligunt. Quae, ne in fraudem latinae linguae, cuius semper pro ingenii mediocritate studiosus fui, a me dicta temere aliquis suspicetur, id vnum illum rogo, num praeclare sibi humanitate perpolitus videatur, qui in usitata lingua Anglica aut Franco-galicae facultate gaudeat? Et tamen nemo adeo iniustus ingeniorum censor est, qui neget, nihil utriusque iam populo ad laudem veterum deesse. Immo vero, si aequa lance merita veterum et recentiorum (de qua quaestione mota aliquando lis est in Gallia) ponderare volamus, certum est, in physicis et mathematicis inde a CC annis esse summorum hominum industria tantas res repertas, ut nihil dubitandum sit, hos ipsos Romanos, quorum scribendi fingendique artem nemo adhuc fortassis assēcutus est, Londinum aut Lutetias, quemadmodum olim Athenas, auolatuos esse, ipsumque Catonem, ut Graecas ante, ita iam Anglicas litteras senem discere nihil recusatūrum. Quae quidem posterior ratio dudum me mouit, qui scilicet cum Seneca meo, nolo antecedentium gregem sequi, ut ita statuerem, itaque censerem, nihil magis obfuisse, quo minus verae eruditio limites in scholarum pomoerii amplificatae fuerint, quam ineptam illam totum iuuenilem aetatem discenda una peregrina lingua conterendi, consuetudinem. Quoniam vero hac de re multus iam fui superioribus in disputatiunculis, nolo hic chorda oberrare eadem. Vnum hoc addam, quo illos, qui me fortassis barbarie patronum clamitent, contundam, ipsam illam latinae linguae caecam venerationem horrendam in orbem Romanum ignorantiam invexisse. Ex quo enim tempore VITALIANVS, (contigit vero id Saec. VII) Rom. Pont. lege fancierat, ut omnia in publico DEI cultu Quiritum lingua pertractarentur, ea scilicet, qua ipse DOMINVS IESVS, et Apostoli vsi fuerint ipsique caelites diuinis laudes celebrarent \*): factum est, ut ciuilia quoque negotia in principum aulis latine peragerentur, solaque Romanorum lingua ea maiestate esse putaretur, quae tantis negotiis digna satis accommodataque esset. Plebi igitur et agresti turbae propria erat germanica, latina vero iis, qui utramque rempublicam humeris suis sustinebant. At, quum hi quotidianis partim rebus, partim innumeris aliis, quae incognitae Romanis fuerant, qualitercumque latine efferendis stuperent, accidit, id quod necesse erat, ut misere inter tot duras monachorum manus dilaceraret illa antiquae sapientiae et facundiae in tot monumentis conseruatrix, veteris Romae lingua \*\*).

Sed,

\* ) v. MELCH. INCHOFER. in Hist. Sacrae Latinitatis L. V c. 2.

\*\*) v. OVERKAMPFI Comment. de ratione status curiae Rom. circa usum L. L. in sacris, lense 1732. et MOSHEM. ad Vber. Folietam p. 117. et ist. praef. p. 3. Inscripta illa est de L. L. cultura et necessitate, dignissimaque, quae in hac tota causa confutatur.

Inferui

Sed, ne malos imitemur medicos, qui aliorum remedia contemnentes, alia meliora non suppeditant, expromemus iam aequis arbitris consilium, quod si sequerentur superiorum scholarum magistri, certus sum, nostros iuuenes veterum et recentiorum sapientiam et humanitatem citius et iucundius esse imbibituros. Tantum enim abest, ut ego quidem pellendos Cicerones, Plinios et reliquos omnis antiquae eruditio fontes ex gymnasii nostris censem, ut potius, pluribus de antiquis honestiora loca tribuenda in illis existimem. Ita enim, ut sine verborum ambagibus ad rem ipsam deueniam, statuo itaque censeo, multo laetius inter nos bonae litterae ut efflorescant, futurum, quodsi in scholis nostris omnes veterum libri pertractarentur. Quod si fieret, quantam quaeso te, optimarum rerum copiam collecturi in omnem vitam fibi essent iuuenes? Quos vero legimus? Si a Ciceronis officiis discesseris, praeter bellorum veterum scriptores neininem. Peslime id quidem. Omnes Ciceronis libri (orationum tantum multas excipio, cum sufficiant selectae,) omnes, inquam Ciceronis libri a capite ad calcem sunt in scholis explicandi, id est, immensus ille adeo antiquae sapientiae et elegantiarum omnium campus emetiendus, frugum cum vertate et varietate, tum vero florum lectissimorum gratia mire festiuus. Post Ciceronem vellein Seneca diurna nocturnaque manu versaretur, ex cuius nimirum pagina una et item altera plus ad vitae totam actionem sapienter instituendam proficiet iuuenilis animus, quam si aliquem eorum, qui praelia tantum narrant, totum centies perlegebit. Iungendum tamen etiam de his idemtide aliquem puto, ad seueriora haec nimirum studia temperanda, comparandamque cum sermonis simplicitatem, tum exemplorum a magnis viris desuntorum varietatem. Poetas, Virgilium maxime et Horatium ut commendem, nihil opus est. Illorum enim familiari consuetudine nihil fructuosius, iucundius nihil. Hanc vero viam dum ingredimur, recordemur, mox ad Graecos etiam, Romanorum magistros, migrandum esse. Quorum quidem cum viuis *Plutarchus* omne id contineat, quo Graecorum sapientia ceteris gentibus omnibus, immo reliquorum populorum maximis ingenii praestabat, cuperem, huius itemque Xenophontis in quotidiano conuictu nostri iuuenes tantum non omnes adolescerent. Cur vero ea, quae viris tantum, et in iis quidem vix vii et alteri pro ea, quae hoc usque viguit in scholis, docendi consuetudine, patuerunt, veteris scientiae adyta discipulis in schola omnibus recludenda putem, haec est ratio, quod a primo in academiam ingressu a vetustatis monumentis ita retrahuntur, ut punci vel titulos librorum, quos a summis ingenii accepimus, teneant. *Facultatum* enim illa quadripartita dinisio quasi sepimento quodam illa humaniora et haec seueriora studia dinisit.

At, iam dubitet aliquis, an, dum tam vastus campus percurrentis sit, temporis satis fuerit ad illas exercitationes in gymnasii nostris tractandas, quibus latine scribendi facultas comparatur, maxime si græca etiam exemplaria

diurna

Inserui illam b. quæt commenrat. et orat. Hamburgi 1751 a me editis p. 271. Addantur alii, quorum opera in hoc argumento versata est, quosque laudat ὁ Ιωάννος ΒΥΔΙΔΕΒΣ in immortali opere, *Išagog. bīb. theol.* p. 99 f. Si haec questio accurate a me ob spatiū angustiam dispartari possit, examinarem argumenta *FOLIETAE*, quibus illius pugnauit, qui sua aetate, lingua potius Hetrufca, quam veteri Latina eruditos (in Italia scilicet) scribere debere, contentebant. v. *præf. Mosbem.* §. XIII p. 31. et annott. p. 82.

diurna nocturnaque manu sint versanda? In promptu est, quid respondeam. Qui natura facti sunt ad imitandum, facillime Ciceronei assequuntur, quippe quem meo ex consilio quotidie disputantem in schola audiunt, ex cuius ore pendent, in cuius sinu quasi adolescent. De ceteris, quibus difficultius accidit in veteri lingua, quam quidem in philosophia aut alia quadam disciplina, excellere, nihil laboro. Quid enim impedit, quo minus Romanorum nostram faciamus in iuandis amplificandisque inter ciues nostros litterarum studiis prudentiam eam, quam Cicero ipse \*) in omnibus fere disputationum suarum philosophicarum praefationibus commendauit? Scilicet, ut, quemadmodum illi quidem non Graece, quamquam Graeca legerent et Athenis audierint, sed Latine scripserunt, ita etiam nos ea lingua vtamur, in qua facillime et copiosissime animi sensa expromere aliis queamus. Quod, si iam argumentis firmandum esset, iis tantum vterer, quibus Cicero ciuibus suis vernaculae vsum ad omne genus litterarum tradendarum copiosissime vtebatur. Et fortassis id aliquando faciam. Quum vero hac molestissima lege leuati fuerint scholarum magistri, ex qua Germanos suos cogere debent, ut, res theologicas, philosophicas, mathematicas, historicasque exposituri, id est eas, quarum expertes veteres fuerunt, Romanum ingenium sensimque induant, adscitam a teneris cogitandi rationem, id est, alteram naturam exuant: hac inquam, dura lege si leuabimur aliquando, tum sperandum est, etiam praestantissimorum ingeniorum de perpolita Anglorum et Gallorum gente libros publice in subselliis nostris iri tractatum. „Quod quidem „commodissime fieri posset, ut summam consilii mei breuissime explicem, „quodsi quatuor aut quinque in vsum superiorum classium compendia, (Chre- „stomathias vocant.) conficerentur, in quibus, refecatis illis, quibus carere haec „aetas potest, ex optimis libris selectissima capita tamquam in Poecili, ad omnem „vitae vsum perpoliendumque, quod intuendis his artificiis fieri necesse est, „juvenile ingenium proponerentur. Aut hoc est barbariem repellere et igno- „rantiam a scholis, aut nihil! „

Mihi vero dixisse, quae amor publicorum commodorum et ipsarum litterarum suasit, satis est: ceteri, quibus mos maiorum via sanctissimaque lex est, viderint, quam bene reip. et iuuenili aetati consulant. Dum haec autem scribo, monent me de meis aliqui, ut sibi, pietatem erga beatam OELHAFII memoriam et spectatissimos Gymnasii nostri Ephoros publice significaturis audientiam, quantum in me esset, honorificis verbis, crafstanam in lucem faciam. Dicturi nempe latine sunt:


IAC. HENRIC. ROEMER, Barbensis, de Strategematisbus bellicis.

IO. GE. CHRISTOPH. VENZKY, Treptoa-Pomer. de summo ad veram pietatem incitamento DEI, ubique nobis praesentis cogitatione,

ERN. CHRISTI. FRIED. IAENTICOW, ciuius eius, de historiae literariae maxima utilitate scholis vindicanda.

Quibus quidem iuuenilibus declamationibus more institutoque maiorum Rectoris, de invicta concordia republica disputaturi vota pro publica priuataque salute pie fundenda coronidem imponent. P. P.  
a. d. VII Ian. c<sup>o</sup>cc LIX.

\*) Conf. et QVINCTIL. Inst. or. L. XII c. 10.



195 D 2

Abitur  
Reichskunst und so

195 | Und wagen wir's noch ein wenig weiter zu gehen.  
Und hier ist es, wo wir auf die nächsten Tage mit einer  
gewissen Sicherheit schließen können, dass der  
Krieg in diesem Jahr nicht vorbei ist. Und das ist  
eine Menge Zeit, die wir haben, um uns auf die  
Vorbereitung zu konzentrieren. Und wir müssen  
uns auf die kommenden Monate vorbereiten, um  
diese Herausforderungen zu überwinden. Und  
wir müssen uns auf die kommenden Monate vorbereiten,  
um diese Herausforderungen zu überwinden.

Und wir müssen uns auf die kommenden Monate vorbereiten,

W 18

